

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

BANGALORENSIS

BEATIFICATIONIS et CANONIZATIONIS

SERVAE DEI

MARIAE VERONICAE A PASSIONE

(in saeculo: SOPHIAE LEEVES)

MONIALIS PROFESSAE ORDINIS CARMELITARUM DISCALCEATORUM
FUNDATRICIS INSTITUTI SORORUM V.D. "APOSTOLIC CARMEL"
(1823-1906)

DECRETUM SUPER VIRTUTIBUS

«Egredere de terra tua et de cognatione tua et de domo patris tui in terram, quam monstrabo tibi» (*Gen* 12,1)

Experientia Abrahae, omnis fidei itineris exemplaris, in rebus Servae Dei Mariae Veronicae a Passione (in saeculo: Sophiae Leeves), quae docilis fuit Domini voci eiusque praescriptiones est perpetuo secuta, sane reperitur.

Serva Dei Constantinopoli nata est. Cuius pater Anglicani Legationis Britannicae Cappellani munus sustinuit. In illa adulescentula magna animi commutatio facta est: multas consumere horas orando incepit posteaque in *Autobiographia* sua de impensa experientia spirituali, quae in ea altam pacem genuit, narravit. A catholica communitate, praesertim a vita eucharistica ac peccatorum absolute, tracta est. Cum praefecto navis sponsalia rupit ac die 2 mensis Februarii anno 1850, resistentibus familiaribus in Anglicana traditione penitus defixis, Ecclesiam Catholicam est denique secuta.

Galliam deinceps petiit et Congregationem Sororum S. Ioseph ab Apparitione, sumpto nomine Maria Veronica a Passione, inivit. Aliquot per annos in Instituto magistrae novitiarum officium explevit.

Anno 1862, sese ad puellas educandas datura, in Indiam est missa. Calcuttae domum emit eandemque in conventus ac scholae formam redegit. Soror Veronica illi ut Antistita praefuit. Duos deinde annos in Mangalorensi urbe constitit. Illic a loci Ordinario est ei propositum Sororum Carmelitarum, gratia puellas docendi, communitatem constituere. Dei Famula, vita contemplativa constanter attracta, ad Galliam profecta est atque Carmelitudis novitiatum asceterii Palensis ingressa.

Post formationis annum Baionae domum aperuit, ut nonnullas ad Tertium Ordinem Carmelitanum Regularem, aliter nuncupatum "Carmelum pro Missionibus", iuvenes sorores instrueret. Quibuscum, denique, anno 1870 instituendo fuit *Apostolico Carmelo* (A.C.) Mangalorensi in urbe. Religiosarum quoque Carmelitudum Congregatio (C.C.R.), quae conventuum, in oppidis v.d. *Quilon*, *Trivandrum* et *Tangasser* deinceps erectorum, unione est orta, sicuti

Fundatricem suam omni tempore putaverunt. Ob quaspiam difficultates complures Sorores in Galliam redierunt. Mater Veronica etiam in Carmelum Palense remigravit ac quinquagesimum secundum annum agens tamquam Ordinis Carmelitarum Discalceatorum monialis sollemnem professionem emisit. Nihilominus Mater Veronica, cum rogata est ut monasterium in Terra Sancta institueret, iter denuo suscepit et, anno 1875, una fuit de Bethlemitici Carmeli fundatricibus.

Aer nimis calidus atque durissima opera manualia, una cum Regulae in Carmelo observatae austeritatibus, illam impulerunt consilium capere, ut in Galliam rediret. Per alios undeviginti annos Veronica in monastica communitate Palensi vixit. Cum Sororibus Mangalorensibus, quas in difficultatibus confirmabat, coniuncta est ac de *Apostolici Carmeli* primordiorum historia scripsit.

Serva Dei non modo humanis qualitatibus, verum etiam spiritalis altitudine vitae eminuit: mulier fuit fidei plena, voci Domini intenta necnon parata ad voluntatem illius exsequendam, sollicita necnon prompta ad angustias omnium sublevandas. Tamquam Instituti Sororum Apostolici Carmeli Fundatrix, sane animadvertit ut divinam inspirationem, respectu muneris in interioritate positi atque infixi, acciperet. Summae vitam orationis coluit ac gratias quoque mysticas extraordinarias recepit. In ea caritatis studium, una cum magna aequitate, fuit impensum et continuum. In variis locis ubi vixit vel apostolatum exercuit, dulcis in moribus sed firma in consiliis semper se praebuit. Patiens et placida in adversis etiam ac temporibus miseris, prudens fuit necnon sapiens in Sororibus instituendis, quibus, praesertim aegrotantibus, maternam benevolentiam praestavit. Senilia mala aequo fortique animo tulit et apud omnes magnum nomen habuit;

cum Sororibus imprimis fuit vivum dilectionis et servitii, humilitatis et oboedientiae exemplum.

Extremis vitae annis aliquot consolationes, inter quas cum familiaribus reconciliationem, equidem accepit. Inhabilitantibus affecta senectutis moribus, Serva Dei sensim sine sensu languit ac die 16 mensis Novembris anno 1906 in Carmelo Palensi ad superos evolavit.

Ob eius sanctitatis famam, a die 23 mensis Septembris anno 1999 usque ad diem 21 mensis Iulii anno 2000 apud Curiam Ecclesiasticam Bangalorem celebrata est Inquisitio Dioecesana, cuius iuridica validitas, decreto diei 11 mensis Ianuarii anno 2002, ab hac Congregatione de Causis Sanctorum est agnita. Die 14 mensis Octobris anno 2003 facta est Sessio Consultorum Historicorum. *Positione* confecta, disceptatum est, iuxta consuetudinem, an Serva Dei more heroum virtutes christianas exercuisset. Die 30 mensis Novembris anno 2012 Congressus Peculiaris Consultorum Theologorum prospero cum exitu locum habuit. Patres Cardinales et Episcopi in Sessione Ordinaria diei 1 mensis Iulii anno 2014, cui egomet ipse Angelus Card. Amato praefui, professi sunt Servam Dei virtutes theologales, cardinales iisque adnexas in modum heroum exercuisse.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Francisco per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione, Sanctitas Sua, vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens rataque habens, hodierno die declaravit: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine, iisque adnexas, in gradu heroico, Servae Dei Mariae Veronicae a Passione (in saec.: Sophiae Leeves), Monialis*

Professae ex Ordine Carmelitarum Discalceatorum, Fundatricis Instituti Sororum v.d. "Apostolic Carmel", in casu et ad effectum de quo agitur.

Hoc autem decretum publici iuris fieri et in acta Congregationis de Causis Sanctorum Summus Pontifex referri mandavit.

Datum Romae, die 8 mensis Iulii a.D. 2014.



ANGELUS Card. AMATO, S.D.B.
Praefectus



✠ MARCELLUS BARTOLUCCI
Archiep. tit. Mevaniensis
a Secretis